



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. An repugnet multitudo infinita rerum spiritualium, & infinita intensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

mediatè, & ita, etsi repugnet coëxistentia terminorum, quos respiciunt existentia diuersarum vlnarum, cum non repugnet per se terminus huius, vel illius existentia, neque repugnat hæc aut illa existentia, neque vtriusque coëxistentia, quæ per accidens se habet respectu vlnarum habentiam existentias, & respectu existentiarum. Ad argumentum in forma propositiones has distingue. Quantitas exigit extensionem immediatè, nego; exigit impenetrationem immediatè, & mediatè extensionem, subdistinguo: indiuisibiliter ratione totius quantitatis, nego, non enim petit tota quantitas esse extra se ipsam: ratione singularium partium, concedo. Propositionem aliam videlicet infinita quantitas petit infinitam extensionem hac ratione distingue: infinita quantitas petit infinitam extensionem immediatè ratione sui, nego. Iam enim dixi corpus non exigere vnâ partem esse extra aliam ratione totius, sed ratione partium, quarum vna petit esse extra aliam: ratione partium subdistinguo, ita vt aliqua illarum petat extensionem infinitam, nego, ita vt quilibet petat extensionem finitam, & per accidens, ex coëxistentia infinitarum partium, exigatur infinita extensio, concedo: ergo repugnante infinita extensione repugnat terminus, quem exigit infinita quæritas indiuisibiliter ratione totius, nego suppositum, quem exigit quantitas ratione partium, subdistinguo; quem exigit aliqua pars illarum vel quem per se exigunt omnes, nego consequentiam, quem per accidens exigunt ex coëxistentia infinitarum partium, concedo consequentiam: ergo repugnante infinita extensione, repugnat infinita quantitas, nego consequentiam.

Aliter alij obijciunt: Multitudo illa corporum, quam nos dicimus posse creati à Deo, & esse infinitam, si poneretur in spatio absque illa penetratione occuparet spatium finitum: ergo quando est penetrata est finita, corpora enim quæ sine penetratione finitum spatium occuparent necessariò sunt finita. Respondeo corpora illa infinita, quæ nos dicimus posse coëxistere penetrata absque vlla penetratione posita, occupatura spatium infinitum ex eo, quod infinita sint, & spatium finitum vt intendit obiectio, quæ contradicção vt bene notat P. Fasolus non infertur ex eo quod dentur infinita corpora, sed ex eo quod dentur absque vlla penetratione. Alia argumenta, quæ non specialiter pugnant contra multitudinem infinitam corporum, sed contra omnem multitudinem etiam rerum spiritualium solum Puncto sequenti.

PUNCTUM V.

An repugnet multitudo infinita rerum spiritualium & infinita intensio.

1 **S**it Conclusio. Non repugnat infinita multitudo Angelorum, neque infinita qualitatis intensio. Ita P. Fasolus 1. p. arc. 3. & 4. Hurtadus disput. 13. sect. 2. Ariaga distinct. 13. sect. 4. & alij plures apud P. Fasolum, vnica conclusionis ratio est: non posse assignari aliquam repugnantiam his infinitis, hanc probat solutio argumentorum, quibus intendi ostenditur repugnantia.

2 **O**biic. primò. Dentur infiniti Angeli, quorum singuli singulos habeant gradus gratiæ: si Deus vellet ex eisdem gradibus gratiæ dare cuicumque Angelo duplicem gradum gratiæ, nullo facto additamento graduum, vel posset dare omnibus Angelos binos gradus gratiæ, vel non. Si dicas posse, manifestam dices implicationem, quia tot erant gradus gratiæ, quot Angeli, & non plures: ergo iidem gradus modo inter eosdem Angelis ita distribuendi sunt, vt quilibet Angelus duos fortitur gradus. Sanè si fieret vt in solutione traditur, nulla illustrior chimara mente poterit fingi, quàm re conceditur. Si non potest Deus omnibus Angelis duos gradus gratiæ dare: ergo illi gradus finiuntur: ergo non sunt infiniti. Respondeo Deum non posse dare singulis Angelis duplicem gradum gratiæ, sed tot sine aliquo esse futuros, quot essent qui duplicem gradum sortirentur, & hos futuros esse infinitos, sicut illos, nego tamen hinc inferri gradus gratiæ non esse infinitos, quia non est contra rationem infiniti totum infumi, & finiri, si ex illo sumantur simul infinitæ partes, sed tantum est contra illius rationem finiri, si successiue ex illo sumantur in quolibet instanti partes finitæ incipiendo ab hac

Franc. de Quirado, Philosoph. Tom. 1.

parte temporis. Si enim Deus ab æterno Angelos creasset vsque ad hoc instans in singulis horis creationes infinitæ pertransissent, quod si hos omnes Angelos infinitos in hoc cubiculo constituisset, etsi infiniti essent, Angelos non haberet vt in duplici cubiculo Angelos constitueret. Ita si Deus resumeret singulos gradus gratiæ, quos infiniti Angeli haberent, & ab hoc instanti inciperet conferre duplicem gradum gratiæ huic Angelo in hoc instanti, & duplicem alium gradum alij Angelo in instanti sequenti, & sic in reliquis, numquam infunderentur illi gradus gratiæ, ita vt ad vltimum binarium perueniretur. Si tamen illos vellet Deus in instanti per binarios simul distribuere singulis Angelis, gradus non haberet in illa multitudine, vt omnes possent duplicem gradum distinctum sortiri.

3 **I**nstabis: In illa collectione graduum essent infinitæ vnitates: ergo essent infiniti binarij, quia ex finitis binariis fieri non possunt infinitæ vnitates: nulla enim vnitarum finita multitudo bis repetita potest infinitam multitudinem constituere: ergo possent infiniti binarij inter infinitos Angelos distribui, ita, vt quilibet Angelus binos gradus reportaret. Rursus si Deus ex illis binariis singulas vnitates corrumpere, manerent iterum infinitæ vnitates: ergo manerent similiter infiniti binarij, ex quibus eadem multitudo Angelorum posset ita gradibus binis gratiæ donari, vt quilibet Angelus duobus potiretur gradibus, & sic in infinitum possent infiniti binarij fieri, ex quibus singulæ vnitates corrumpantur, & iterum ex relictis vnitatibus alij binarij fierent, & sic in infinitum procedi potest, quod quidem eximium videtur infiniti sacramentum non fidem, sed fictionem exuperans. Mysterium facile aperiam. Ex illis gradibus infiniti fierent binarij, quos infiniti Angeli ferre possent singuli singulos gradus binarios, non tamen omnes Angeli, qui antea simplici gradu gratiæ gaudebant binos gradus gratiæ consequentur, aliud enim est infinitos Angelos infinitis binariis donari aliud omnes Angelos, qui vnum gradum habuerant, modò duplicem obtinere. Primum est verum: hoc secundum est falsum, multitudo enim Angelorum, qui habuerunt simplicem gradum esset duplo maior multitudine illorum, qui modò duplicem haberent, etsi vtraque sit multitudo infinita, quia dari potest vnum infinitum maius alio. Ex hac doctrina facile soluantur reliqua quæ supra obijcebantur: dico enim in quacumque multitudine infinita esse infinitos binarios, quorum si singulæ vnitates corrumpantur remanebunt infinitæ vnitates, ex quibus fieri poterit alia multitudo binariorum, quæ si iterum per binarios distribuatur inter Angelos qui ex multitudine præcedenti corruptionem singularem vnitarum binos gradus habuerant, tunc sufficeret, vt dimidia pars illorum binos gradus reportaret, quæ pars dimidia includeret infinitam multitudinem Angelorum vix repetendam, ne superaretur multitudo præcedenti vnitarum corruptionem.

4 **O**biic. secundò. Infinitum categorematicum includit in actu totum illud, quod syncategorematicum includit in potentia: sed non potest dari in actu totum illud, quod infinitum syncategorematicum includit in potentia: ergo non potest dari infinitum categorematicum. Maior probatur, quia infinitum categorematicum, & syncategorematicum ex eo distinguuntur quod categorematicum dicit actu existens, quod syncategorematicum dicit in potentia. Minorem probo: Producta quacumque multitudine potest rursus produci aliud indiuiduum eiusdem rationis: ergo illa multitudo producta non includit totum, quod includit in infinitum syncategorematicum, in quo includebatur indiuiduum illud, quod remanet producibile, & hac multitudine producta nondum productum est. Respondeo infinitum categorematicum includere finitam multitudinem, quam syncategorematicum includebat, quia syncategorematicum non solum dicit quancumque multitudinem infinitam possibilem, sed totam illorum collectionem & infinitas multitudines infinitas, & non solum omnes infinitas multitudines, sed omnia indiuidua possibilem. Categorematicum autem etsi dicat infinita indiuidua existentia, non tamen dicit existentia omnia existibilia, vnde non solum distinguuntur infinitum categorematicum, & syncategorematicum, ex eo, quod categorematicum dicat entitates existentes, & syncategorematicum possibilem, sed ex eo quod categorematicum tantum dicit multitudinem infinitam, extra quam alie possunt superesse, syncategorematicum autem dicit totam collectionem

Cc. finem

ationem possibilem, extra quam neque singularis vnitatis existit.

5 Obiic. tertio. Si qualitas posset esse infinite intensa, posset esse visio Dei infinite intensa: ergo posset dari visio comprehensiva Dei. Concedo antecedens, & nego consequentiam, non enim ex eo, quod visio esset infinita esset comprehensiva, quod constabit ex dicendis Controv. 3. de anima, Punct. 5. ubi naturam comprehensionis explico.

6 Obiic. quarto. Si daretur gravitas infinite intensa motus localis esset infinite velox: ergo esset in instanti: Antecedens probatur: quo intensior est gravitas, velocior est motus: ergo si gravitas est infinite intensa motus erit infinite velox. Respondeo negando primum antecedens, & distinguendo secundum, quod in confirmationem primi adducitur. Quo intensior est gravitas velocior est motus intra certam latitudinem, ultra quam non potest motus velocitas crescere, concedo: absolute, nego. Deinde nego consequentiam. Ratio distinctionis adducta est, quia in mea sententia motus, quo indivisibile mobilis per quatuor indivisibilia temporis quatuor indivisibilia spatij percurrit est summe velox, & de potentia Dei absoluta non potest dari velocior alius, nisi fiat sine transitu per medium, vel presentiam repetitam eiusdem mobilis in duplici loco in eodem tempore, quod cum non possit prestare gravitas, non potest quantumvis intensa sit motum velociorem producere. Vnde cum ad illum velocitatis gradum pervenerit motus, ut absque ulla morula fiat, quantumvis accrescat gravitas non accrescet illius velocitas, quae iam tetigit summum gradum, quem habere potest.

7 Obiic. quinto ex P. Valentia 1. part. quaest. 7. art. 3. punct. 3. *S. mihi verò.* Omnis multitudo eo ipso quod existat, habet ultimum: ergo non est infinita, est enim de conceptu infiniti ultimum non habere. Antecedens probatur: Ultimum est illud ultra quod simul cum reliquis omnibus non est aliud, sed in omni multitudine existente praeter unam aliquam eius partem simul cum reliquis omnibus collectivè sumptis non est alia pars eiusdem magnitudinis: ergo illa est ultima. Rectè notavit Pater Fasolus secundum hanc ultimi definitionem mensem Ianuarii vel Aprilem posse dici ultimum mensem anni, quia praeter Aprilem simul cum reliquis mensibus non est alius mensis eiusdem anni. Respondendum est, negando primum antecedens, & secundum, in quo adducitur definitio ultimi. Ultimum enim est, quod existens post omnes alias partes illud praecedentes, non habet aliam posteriorem se. Et cum possit dari multitudo, in qua nulla sit pars, quam reliquae omnes praecedant, potest dari multitudo, quae non habeat partem ultimam.

8 Obiic. sexto. Si posset dari infinita gratia habitualis, posset homo constitui in statu, in quo non posset, ultra mereri, consequens est falsum. Respondeo negando antecedens, quia postquam homo haberet finitam gratiam, posset hæc augeri per novos gratiae gradus: quod si fieri non posset, non esset ex defectu valoris meritorum, sed ex impossibilitate augmenti. Adde, quod si ex hoc capite repugnaret gratia infinita, non ideo repugnaret infinitus calor, quia hæc repugnantia etiam si in gratia reperiretur, in calore reperiri non posset.

9 Obiic. septimo ex Albertino. Si darentur infiniti Angeli, hi omnes distinguendi essent in specie, sed omnes species inaequales in perfectione sunt: ergo daretur species infinite perfecta. Hæc obiectio impugnatur infinitas species, non solum existentes, sed etiam possibile, cui ex professo faciam satis Punct. 7. ubi probabo ex hoc excessu specierum infinitarum non sequi illarum aliquam esse infinitam. Eodem argumento utuntur aliqui ad probandum repugnare infinitam intensionem, si gradus qualitatis sunt infiniti intensi, & unus perfectior alio, quod hic non expendo, quia idem est de his gradibus, ac de speciebus distinctis. Reclamant illius Patroni asserentes hic specialem habere difficultatem, quae non est in speciebus, quia ipsi non inferunt aliquem gradum intensionem habere infinitam perfectionem, sed toti intensionis infinitam perfectionem inesse, quia tota graduum perfectio inest uni qualitati intensae, & tota infinitarum specierum perfectio non inest alicui composito ex illis speciebus. Si semel concedatur gradus singulos finitam perfectionem habere, eadem est ipsissima ratio, siue gradus sint æquales, & non subordinati, siue subordinati, & se invicem

excedentes. Eadem enim ratio, seu repugnantia est ut ex infinitis entitatibus aequalibus, quarumque quilibet finitam habet perfectionem, resultet una perfectio simpliciter infinita, ac ut resultet ex finitis entitatibus inaequalibus, quarum quilibet habet finitam perfectionem. Ad illud quod dicitur de intensione quae includit perfectionem omnium graduum, Respondeo, non dari in intensione aliquam perfectionem, quae immediate afficiat indivisibilitatem totam intensionem, ac proinde etiam si intensio includat totam perfectionem graduum, illam includit dispersam per infinitos gradus & semper intra genus perfectionis creatae, & secundum quid cum dependentia à principio effectivo, quae opponitur cum ratione infiniti simpliciter, & per essentialiam, quod dicit essentialiter independentiam ab omni causa.

Obiiciunt octavo docti & peracuti recentiores omnibus praecedentibus longè difficilior argumentum. Designet Deus Angelos mente sua omnibus diebus, quos per aeternitatem cognoscit successivè esse futuros, ita ut cuilibet diei singularis Angelus correspondeat, hi Angeli erunt infiniti, quia tot erunt, quot sunt dies imaginarii per aeternitatem futuri, & quot essent dies reales, si caelum per aeternitatem esset perpetuè movendum; aliis erunt finiti: ergo finiti, & infiniti: ergo implicat illa Angelorum multitudo. Illos Angelos futuros, esse finitos sic proba. Si Deus ex hoc instanti in qualibet hora unum Angelum ex illis produceret, nulla hora relicta in qua non produceret Angelum, non posset ex illa multitudine in omnibus horis Angelum distinctum producere, quia horarum multitudo maior est multitudine dierum, & consequenter maior multitudine Angelorum, quae aequalis est dierum multitudi: ergo essent aliquae horae, quibus nullus Angelus producendus responderet: ergo cognosceret Deus, ad has horas non perveniret productio Angelorum, quae ab hac hora incipit: ergo illi Angeli correspondebant horis, quae haberent primam, & ultimam: ergo horis finitis: ergo essent finiti. Diceret aliquis ex Maiore, cuius doctrinam Conimbr. sunt sequuti multitudinem illam infinitam correspondentem singulis diebus sufficiens, esse, ut corresponderet singulis horis, & singulis instantibus aeternitatis, quia in infinito multitudinis non sunt plures numeri centenarii, quam millenarii, neque plures vnitates quam ceteri numeri, & ita in infinito horarum plures non erunt dies, quae viginti & quatuor horas includunt, quam sunt singulae horae. Quod si obiicias illud principium: totum est maius sua parte, respondent Conimbr. 3. Physic. cap. 8. q. 2. art. 4. ad 2. intelligendum esse de toto finito, non de infinito, in quo locum non obtinet. Sanè huius conditionis naturam infiniti defendere non est, illud tueri, ut bene notavit P. Fasolus dubit. illa 12. n. 40. sed omnibus irridendum proponere, est enim lumine naturae notam infinitam multitudinem plures vnitates, quam numeros millenarios includere, siquidem quilibet numerus millenarius, mille dicit vnitates millenario numero respondentes.

Viderunt recentiores hoc argumentum ipsam aeternitatem animorum à parte post futuram impugnare, in qua manifestam habet instantiam, & ita non illud proponunt ut animum conuincant, sed ut illius difficultate seu fallacia, quam asserunt hucusque deprehensam non esse, intellectum cuiusque vincant. Intendo praedicta difficultatis satisfacere, sic respondeo. Affirmo multitudinem illam Angelorum, quos Deus singulis diebus aeternitatis designavit esse infinitam. Deinde nego, posse Deum ab hac hora per singulas horas perpetuè absque ulla interruptione singulos Angelos producere, ita ut nullus restet producendus. Et similiter nego, posse Deum mente designare singulos Angelos singulis horis incipiendo ab hac hora, ita ut nullus illi Angelus superfit, cui hora non correspondeat, neque vlla sit hora intermissa sine Angelo in tota illa serie horarum, quae Angelos productos, vel mente divina continet assignatos. Forsan rationis facilitas difficultatem conclusionis superabit: supercilio deposito, attendas obsecro: Ut Deus assumat horas, quibus illi Angeli, vel reali productione, vel mentali assignatione adaequatè correspondeat, ita ut nulla hora sine Angelo superfit, ex his, quas delumpit, neque vllus Angelus superfit sine aliqua illarum horarum debet Deus sumere infinitas horas, quia Angeli sunt infiniti: ex alio capite non debet sumere omnes horas, quae sunt ab hoc instanti per totam aeternitatem, quia harum multitudo superat multitudinem Angelorum, ut per se notum est.

est. Sed incipiendo ab hac hora non potest fumere infinitas horas nullā interceptā, quin totam aeternitatem assumat, quia ubicumque sinit horarum assumptio terminum habebit, & erit verū dicere, hac est vltima hora assumpta, & illa fuit prima: ergo ab hac hora non potest Deus assumere horas non interruptas, quibus illa Angelorum multitudo correspondeat, qualibet enim multitudo continua horarum, quæ ab vna incipit hora, & non replet totam aeternitatem finita est, quæ non sufficit vt infinita Angelorum multitudinī infinitæ correspondeant. Debet ergo Deus vt illi multitudinī Angelorum horas assignet, quæ ab hac incipiet illas assignare cum aliqua interruptione, quia ex horis interruptis bene potest Deus infinitas assumere, quin totam assumat aeternitatem: si enim Deustertiam quamque horam ex his quas agnoscit defumat, alia intermedia semper relicta, tam hora relicta, quam assumptæ erunt infinitæ, quia neque multitudo horarum, quas Deus assumit, neque multitudo horarum, quas reliquit, aliquam vltimam habebit, neque vna multitudo erit post aliam, neque erit alterius terminus, & hac ratione incipiendo ab hac hora poterit Deus duplicem multitudinem horarum distinctam assignare. Si verò ex hac hora velit duplicem multitudinem horarum non interruptarum mente designare, non poterit vtramque infinitam assignare, quia cum hora aeternitatis sint futura successiue, si hora vtriusque multitudinis non permiscetur, vna multitudo erit adquatè post aliam, cuius multitudinis prima hora erit terminus multitudinis precedentis, & ita multitudo, quæ prius præcedebat terminum habebit à parte post, & cum ab hac inceperit hora, illum habebit à parte antea, & à parte post, & ita vtriusque erit finita.

12 Ex hac doctrina infero pro solutione aliorum argumentorum quæ eandem continent difficultatem, quod si Deus ex omnibus diebus quos videt per aeternitatem futuros vellet certum numerum dierum v. g. viginti dies mente excludere, non posse reliquam multitudinem ab hac die absque vlla dierum interruptione cognoscere. Ratio est manifesta, quia vel cognosceret multitudinē illam, à qua decem dies sunt ablati ab hac die absque vlla interruptione tendere per totam aeternitatem, vel cognosceret non peruenire ad totam aeternitatem, si cognosceret tendere ab hac die per totam aeternitatem: ergo nullus dies ex illa fuit ablati: si cognosceret non tendere vique ad totam aeternitatem, illud, quod restat, & hac dierum series non attingit, erit aeternitas, quia post quemque diem aeternitatis assignatum adhuc restat aeternitas; ergo non solum decem dies aeternitatis sunt ablati ab hac die multitudine, sed quædā integra aeternitas. Secundo si hæc series dierum, quæ ab hoc die incipit, totam aeternitatem non attingit, datur aliquis dies, quem non attingit: ergo ille erit terminus feriei dierum, quia cum tota illa sit absque vlla interruptione, si non includit hunc diem, neque includet alium, qui post hunc existit. Rationem totius doctrinæ claram accipe: vt ego à diebus, quos includit annus decem demptis reliquos omnes absque vlla interruptione assumam incipiens à prima die Ianuarij, necessarium debeat relinquere decem vltimos, & non alios, quia si relinquo aliquos existentes ante decem vltimos, postea vel assumo dies illos, qui sunt post decem relictos, vel non. Si non illos assumo iam non tantum relinquo decem dies, sed decem & alios, qui sunt post illos. Si illos assumo: ergo iam non assumo dies omnes distinctos à decem, quos relinquo absque vlla diuisione interceptos, sed interruptos decem diebus relictis. Ex hoc infero, quod si essent assumendi dies omnes, qui ex hac die erunt in aeternitate absque vlla interruptione decem tantum relictis, & assumptio dierum ex hac die esset inceptura, relinquendos esse decem dies vltimos, post quos nullus alius esset, & cum in aeternitate non sint aliqui dies vltimi, post quos alij non sint, fit non posse incipiendo ab hoc die recenseri sine vlla interruptione dies omnes ab hac die futuros per aeternitatem decem tantum demptis, sed dies absque hoc recensendos absque interruptione debere esse omnes, qui in aeternitate erunt, vel debere relinqui infinitos non recensitos, & recensitos omnes esse finitos, quia habent primum, & vltimum. Hanc observa doctrinam, pro pluribus argumentis, quæ fieri possunt, contra infinitum permanens & præcipue successiuum, quæ ex illa facile soluentur, & non sine maxima meiscipibentis, & tui legentis molestia possent hic adduci. De-

Franc. de Ouedo, Phil. soph. T. m. 1.

ficiet enim aeternitas argumentis, quæ contra aeternitatem, & contra quodlibet infinitum possunt adduci.

PUNCTUM VI.

Nonnulla expediuntur de infinito.

Definiendum est an vni infinito possit aliquid addi, vel detrahi, an sit capax augmenti, an possit dici maius, vel minus, æquale vel inæquale respectu alterius. Plerique hæc disputant antequam naturam infiniti, & possibilitatem, aut repugnantiam illius vt existentis definierint, ex quo fit ipsos confundere repugnantias, quas includit subiecti existentia, quam supponunt, illisque vt ad probandum nullam ex his proprietatibus infinito competere posse. Statuendum est vt ordinatè procedat disputatio, quodnam infinitum existat, vel existere possit, & de illo inquirendum an capax sit proprietatum, de quibus procedit disputatio. Vel si velimus disputationem hypotheticam facere, debemus supponere infinitum existere, etiam si repugnet, & deioris repugnantis, quas diceret illa existentia, inquirere, an alia noua assurgeret ex proprietatibus, quas inquiremus.

Dico primò. Infinita multitudinī Angelorum potest addi & adimi alia multitudo finita, aut infinita. Probo clarè: In multitudine infinita Angelorum sunt infiniti binarij: ergo si mente Deus adimat vnā vnitatem à quocumque binario permanebunt infinitæ vnitates: ergo illis ablati adhuc maneret multitudo infinita. Neque dicere potes Deum non posse adhuc mente præscindere singulas vnitates à singulis binariis, quia hoc non repugnat ex connectione entitatum inter se, quia quilibet Angelus, ex his, quos claudit hic binarius, est independens ab alio in esse & cognosci, potuit enim Deus supposita creatione cuiuscumque alteram non creare, neque repugnat ex natura infiniti, quia ex eo quod multitudinī infiniti repugnaret illa separatio, non fieret non posse Deum illam exhibere, sed illa exhibita infinitam multitudinem esse extinguendam, sicuti ex eo quod à numero binario non possit demi aliqua vnitates, non fit Deum non posse demere vnitatem ab illa multitudine, quæ denarium perficit, sed demptā illā vnitatem non permanere denarium, ac probauit demptā vnitatem à quocumque binario inclusio in multitudine Angelorum manere vnitates infinitas & multitudinem infinitam: ergo non est contra rationem infiniti vt sic, ab illo aliquid adimatur, neque consequenter vt illi aliquid addatur, quia potest illi restitui, quod demptum fuit, vel potuit creati sine illo, quod illi postea ablatum, illudque acquirere in mensura, in qua fuit ablatum, aut in alia posteriori, quod esset propria infiniti additis.

Addit P. Fasolus dub. 4. num. 3. infinitum esse capax multitudinis quatenus est finitum, non verò quatenus est infinitum. Id ego perciperem, si P. Fasolus loqueretur de infinito extensionis, quod versus vnā partem infinitam extensionem haberet, & non versus aliam, in infinito vero multitudinis Angelorum, in quibus nullus est ordo, id ego non percipio, neque scio, quomodo potest addi illi multitudinī, nisi quatenus est infinita, cum ipsa si tota sumatur vnitates infinitas semper includat. Hanc diuersam acceptionem infiniti quatenus est finitum, & quatenus infinitum est, explicat doctus Fasolus dub. 3. num. 8. his verbis: *Etiam cum quodlibet infinitum nihil aliud sit, quàm vnitates infinites replicata, & consequenter quodlibet infinitum replicatum infinites est impossibile dari aliquod infinitum, in quo non sint assignabiles partes finitæ, & partes infinitæ: unde oritur, vt quodlibet infinitum considerari possit, aut debeat & quatenus finitum, & quatenus infinitum: quatenus constat partibus formaliter vt infinitis, est infinitum, quatenus constat partibus formaliter finitis est finitum.* Hæc sunt Fasoli verba, quid rei habeant videamus. Continuum constat partibus finitis, & infinitis, & nihil aliud est, quàm vnitates infinites reperiæ vt doctè docet Fasolus, ita tamen constat partibus finitis, & infinitis, vt finitæ partes includantur in infinitis, quibus constat infinita multitudo, & ita constat his partibus finitis inclusis in infinitis, vt partes finitæ per se solas quatenus distinguuntur ab aliis non possint constituere adquatè multitudinem infinitam, neque illa multitudo infinita, seu illud infinitum possit

cc 2

possit